

vitam & substantiam hominis, & imperitioribus quandoque imponenti, vere autem omnis vitæ motusque cum anima expertæ. Etenim Galatæ quoque mentiebantur Christianos: Christiani tamen erant minime, quoniam fide, anima Christiani, destituebantur.

§. XV. Sicut in Physica generatione, præter materiam ejusque privationem, forma quædam spectanda venit; ita in regeneratione quoque *forma* quædam datur, quam nunc videre aggredimur. Apostolus eam appellat *μορφὴν τοῦ χριστοῦ*, *formam Christi*, quando ait, se Galatas parturire, *ἕως χριστὸς μορφωθῆ ἑν αὐτοῖς*, *donec Christus formetur in ipsis*. Vocabula *μορφῆς καὶ μορφώσεως* *formæ & formationis* usurpantur (I.) pro externa specie corporis præcipue lineamentis, & aspectu vultus, ut *Marc. XIV.* ubi Christus a resurrectione secunda vice, *ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ*, apparuisse dicitur. Hinc (II.) leguntur pro Idea mentali, quæ in intellectu est, quod lineamenta corporis sunt in corpore. vid. *Rom. II. 20.* quo loco *μῶρφωσις τῆς γνώσεως*, *idea, seu imago intellectionem* juvans, memoratur. Rursus (III.) denotat statum seu genus vitæ prout ita est legere ad *Phil. II. 7.* ubi *μορφῇ θεῶν*, *μορφῇ δόξης* est status seu vita DEI, status s. vita servi. Denique (IV.) etiam pro simulatione & fuce accipitur: ut *II. Tim. III. 5.* quando multi dicuntur habere *μορφὴν τῆς εὐσεβείας* *formam pietatis*, *vim autem abnegare*. Secunda & tertia significatio maxime ad præsens attinet. Ad primam tantum alluditur. Quarta prorsus hunc non quadrat. Verbo, *forma Christi est imago Christi*, in anima nostra depicta, lineamenta quasi ipsius referens. Qua ratione pulchre ad h. l. nostrum J. Brentius Expl. Ep. ad Gal. p. 130. b. *Nemo recipitur in*

ca-